This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

**Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

**About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



17
22.

# QUÆNAM PRÆCIPUE CAUSÆ SINT, CUR GRÆCIS ROMANI IN ARTIUM LIBERALIUM STUDIIS VIX PARES, NEDUM SUPERIORES EVASERINT.

## ORATIO

IN THEATRO SHELDONIANO HABITA

DIE JUNII VII MDCCCLIII.

OXONII,

T. ET G. SHRIMPTON.

MDCCCLIII.

1700. f. 1

Λιπαραὶ Ἀθῆναι.

---

Capitoli immobile saxum.

# SYNOPSIS.


INTRODUCTION.—Proposition shewn to be true by comparison of each of the Arts - - - - 1–6

Causes.—What kind to be required—Divided into two kinds; A. national differences, B. the circumstances of Art - - - - - - - 7

A. National differences—viz., Country, Religion, Institutions, Manners, National Character - - 8

1. Country—Greek favourable, from climate, geographical position, natural divisions, variety, materials; but not the cause of difference, for Italian climate equally favourable; and besides, Art does not always correspond to climate - - 9

2. Religion—Parent of Art, for idols and means of worship. Greek favourable; founded on poetry; numerous and definite deities; joyous worship: sensuous, of nature. Roman no poetry, vague, and terrible; political, worshipped Mars with war. But poetry and religion not ultimate - - 14

3. Institutions—Not cause of Art; no kind universally productive or destructive of it; but δημοκρατία ὑπὸ τοῦ πρώτου ἀνδρός, both at Athens and Florence accompanied by highest Art. Rome, scene of perpetual political struggles; under the emperors freedom of thought lost. Particular laws for Art at Athens, against it at Rome - 19

4. Manners—At Athens trades left to slaves, hence necessity of amusements; these sought in Art. Rome agricultural and military; luxury forbidden. Type of amusement; at Athens the drama, at Rome the circus. Under the emperors, Law not Art the employment. Roman morals much worse than Greek. Education at Athens μουσική, at Rome "instituta majorum" - - 24

5. National character—The real cause, to which the others to be referred. The points conducive to Art in Athenian character, 1. Intellectual; i. sense of beauty; ii. tendency to personify; iii. versatility. 2. Moral; religious, cheerful, fond of praise, loving change, energetic. Roman character—under the commonwealth, the hardy, inflexible soldier; despiser of luxury and foreigners: under the emperors, turned to obsequiousness, strenuous in vice - - - - 28
National character ultimate; not only dependent on circumstances, but natural - - 42

B. Difference of circumstances of Greek and Roman Art.

1. End proposed—Greek, beauty; Roman, imitation. Greek ideal, and surpassed nature. Greek for the state and for fame; Roman for individuals and for gain. Unfavourable effects of Roman conquest - - - - - 44
2. Age—at Athens under Pericles, maturity of state; at Rome under Augustus, decline. At Athens, period of excitement, war, and great men; at Rome, peace and lethargy - - - 46
3. Method—Roman, mere copying; Greek, ideal carried out by help of science. No sciences at Rome - - - - - - 48
4. Subjects—At Athens, during the best period, gods and heroes, though it afterwards degenerated to men; at Rome always men - - 49
5. Artists—at Athens, every educated man; at Rome, "in honestis manibus nunquam spectatæ artes" - - - - - - 50

Summary and Conclusion - - - - 51

## QUÆNAM PRÆCIPUE CAUSÆ SINT, CUR GRÆCIS ROMANI IN ARTIUM LIBERALIUM STUDIIS VIA PARES, NEDUM SUPERIORES EVASERINT.

Cum tot tantæque Græcorum et Romanorum dissimilitudines sæpissime jam in controversiam a doctissimis viris vocatæ sint, nulla fere major videtur, nec magis animadversione digna, quam ea, quæ in artium liberalium studiis continetur: quarum quidem Græcis primæ non de æqualibus tantum, sed de omnibus omnium temporum, nemine adversante, deferuntur, Romani ne in secundas quidem laudes accesserunt. Quod si, ut omnibus fere videtur, in civitatibus, sicut in singulis hominibus, ita se res habet, ut ingenii et morum indicium et quasi nota artes suæ cuique sint proferendæ, operæ certe pretium erit, causas, cur artibus aliæ gentes aliis excellentiores evaserint, altius indagari. Est enim artium historia singularum gentium ac ætatum eximia quædam imago.

Sed cum, latius et infinite dictum, nomen artis de omnibus prædicatur, quæ labore hominum et peritia efficiantur: (quicquid enim ratione et regulis fiat, arte id fieri dicitur) in duo potissimum genera artes licet sejungamus. Alterum earum, quæ necessitatibus hominum succurrant, et sola utilitatis causa colantur; quales sunt ædificiorum viarumque structuræ, res militaris et civilis, et humiliora illa omnia, quæ ad quo-

tidianam vitam attinent: alterum earum, quæ, cum propter usum ortæ sint et nonnihil commodi habeant, propter delectationem tamen præcipue æstimentur; cujus generis est liberalium totus numerus, musica, poesis, pictura, statuaria, non vulgaris illa domuum, sed elata hæc, quæ in ornamentis ædium ac venustate continetur; quarum omnium finis est pulchritudo. Ex his autem alterum illud, quod utilium est, Romani egregie colebant; ut etiamnunc vias a Romanis structas miremur, legibus Romanis studeamus, militarem ducum Romanorum scientiam imitemur; hoc alterum liberalium in Græcia præstantissimum evasisse, a Romanis fere alienum fuisse, exemplis plenius docendum. Ineptum enim cui non videretur, si causas rei quis ante investigaret, quam ipsa res vera necne esset satis haberet demonstratum?

Ad fastos igitur et monimenta proficiscamur. Pictores Romani ubinam sunt? ubi musici? ubi statuarii? an Pacuvium quisquam propter tabulas superstitem credit? an L. illum Scipionem, aut Messalam illum Pœnorum in Sicilia victorem, tabulas pinxisse cuiquam præter Plinii studiosos auditum[a]? at cæterorum ne nomina quidem aliunde cognita. Vel quis Turpilium unquam, aut Mancinum, quis Aterium Labeonem memoria accepit? Post Græciam vero domitam in honestis manibus nunquam spectatam hanc artem fuisse Plinium auctorem habemus: externis enim signis tabulisque conferta urbs suis incumbere non curabat. Græcorum contra quot quamque egregii in pingendo exstiterunt[b]? Fama etiamnunc vi-

[a] Plin. Nat. Hist., xxxv. 4. [b] Ibid., xxxv. 10.

vunt Polygnotus, Zeuxis, Parrhasius, prima fere hujus artis initia; post hos Timanthes et Pamphilus, quorum ille ingenio ac arte, hic eruditione et scientia effecit ut in primum liberalium gradum picturæ ars reciperetur. Quibus successit, quem veterum judicio omnes prius genitos futurosque postea superasse Plinius tradidit, Apelles; qui soli sibi ex omnibus, qui eadem ætate maximi erant, charita contigisse gloriari ausus est. Quorum opera recensere nec instituti operis est, nec, ut in re admotum nota, necessarium. Digna quoque memoria sunt nomina Protogenis, Nicomachi, Aristidis, Euphranoris, aliorumque innumera multitudo, quorum tamen unusquisque, si Romanus fuerat, summam urbis laudem tulisset. Quod si in pictura Græcia tanto superior videtur, at in statuaria multa minus ambigendum: qua non veterum tantum, sed omnium ætatum facile princeps ea est. Cujus ut omittamus Dædalea illa primordia, quæ in omni gente fere eadem oriri solent, ecquis cum Phidia conferendus, qui, cum in Deorum signis præcipue laudatur, tantam his majestatem fecit, ut receptæ religioni venustatem addidisse diceretur[c]? Qui etiam Deos vidisse ferebatur, quod propriam cuique formam ac lineamenta primus fecit, cum antea iidem omnibus vultus ficti essent: nec ut signa, sed ut ipsa numina, Jovem ejus et Minervam Græci venerabantur. Artem ab hoc apertam consummasse regulis dicitur æqualis Argis Polycletus: quem et Doryphorum fecisse, quem canona artifices vocarent, et Astragalizontas duos, quibus nullum perfectius plerisque videretur, a Plinio traditum accepimus. In-

[c] Quint. Orat. 2—10.

signes quoque, ut laudis nostræ non indigeant, Minon, Alcamenes, Lysippus, Praxiteles: quorum ad ætatem referenda videntur exempla illa, quæ nunc in omni pinacotheca exstant, Venus, Apollo, Hercules, Laocoon[d]: pulcherrima quidem, nec ea tamen tam crescentis, quam senescentis jam, artis opera habenda. Reliquorum tanta turba, ut omnem ferè Græciam huic arti deditam crederes: nec florere ea ante desiit, quam post Antoninos principes iconoclastæ illi, quos vocabant, contra sæviebant. Ad Romam vertamur. Signis hominum conferta urbs fuit: sed nullum fere Romani opus. Antiquiora enim illa, ut Lupus Capitolina, Tusca non Romana erant; Tuscas autem artes e Græcia immigrasse docet Demarati illius cum Enchire et Engrammo historia. Qui vero postea laudabiles in hoc genere exstiterunt, Græcorum quam Romanorum artificum numero rectius ad numerandos arguunt ipsa nomina, Pasiteles, Arcesilaus, Polydectes, Zenodorus, Antinous. Quorum Græca sane stirps, modo in solo Latino nutrita. Nominum autem series conferre supervacaneum est: reliquiæ supersunt Romanæ nullæ, nisi confuse in portis triumphalibus elaboratæ pompæ; Græcæ permultæ, eæque tales, quales imitari posse nemo non maximam laudem nunc putaret. Longius sane esset singulas artes accuratius conferre, plasticen, sculpturam, architecturam. Ex quibus ne hac quidem, quamvis propter usum ingenio eorum accommodatiore, Romani Græcis pares fuerunt. Græcorum Cyclopea illa vel Pelasgica initia, crescente ingenio, primum Doricum illum simplicitate et mole

[d] Winkelmann's Greek Art, c. 4.

severum stylum creaverunt, post elegantiorem ornatioremque Ionicum. Romæ fuit Græca imitari. Itaque Romanus stylus nullus fuit: nec Tuscus ille quicquam aliud, quam majestate orbatus Dŏricus[e]. Adeo ne recipere quidem alienas artes Italorum fuit. De iis igitur, quæ in forma sitæ sunt, artibus nihil ultra ambigendum: quid de iis, quarum in auribus mensura? harmoniam dico et poesin. Jam de veterum musica parum constat, nec eædem videntur tum cognitæ fuisse, quæ nunc, harmoniæ leges: at accepimus in fabulis agendis, et in sacris pompis musicam a Græcis adhibitam, necnon permultum dignitati earum addidisse; at traditum per tria systematum genera, per complures modos, seu τόνους, quos vocabant, flexa a Græcis carmina fuisse, sic ut alios animi affectus alii modi significarent, mærorem Mixo-Lydius et Hyper-Lydius, convivia Lydius et Ionicus, bellum Doricus, tranquillitatem Phrygius[f]. Quare non dubitandum quin in liberalium numerum ars harmoniæ a Græcis reciperetur. Hic autem, sicut in reliquis, Græci invenire, Romani tantum imitari fuit. Ad poesin eamus. Quid hæc? nullum ne honorem Virgilius aut Flaccus merentur? an quam eorum, qui hos secuti sunt, Juvenalis, Ovidius, Catullus, cum aliorum innumera pæne multitudine, potest vel Græcia majorem turbam jactare? Quæ si quis reprehendet, at non de numero nunc, nec nominibus, sed de ingenis nunc quæritur. Ante Græcorum autem infinitum illum poetarum thesaurum Romanis patefactum, ecquis unquam non dicam par Græcis, sed omnino exstitit poeta? Nænias

[e] Müller's Ancient Art. [f] Plat. Rep., iii. 10.

et heroum laudes versiculis inclusas, memoriæ credo causa, fama accepimus[g]. Ipsæ jamdudum perierunt. Ennium autem aut Pacuvium quis legere curaret? At in Græcia, veluti ex Jovis capite ferebatur Minerva, ita ex Homeri Poesis adulta et armata prosiluit. Quin diversa initia diversæ quoque series secutæ sunt. Educatur Æschylus vel Sophocles, alter ineffabili quadam immensitate contorquens, alter leni nec imitabili suavitate profluens. Quemnam componitis? certare cum Æschylo Euripidem in risum Athenis detulit, at cum Euripide Romanum nunc. Imitati sane egregie sunt Græcos Romani. Virgilio honorem fecit Homeri umbra, sertum intexuere Theocriti flores. Alcæi Sapphusque imaginibus ornatus spatiatur Flaccus. Menandri et Apollodori fabulas Latinis eleganter dedit Terentius, rusticius sed idem fortius Plautus Epicharmi. Satyræ vias primam incessisse Romæ concedatur: concedatur nonnullis Latinorum laus, quod pari gradu plures poeseos campos pervagati sunt. Ingenium autem et verus ille poeticus afflatus, dum Græcia fuit, nunquam tantum ab Helicone exsulabant: nec Parnassum Esquiliis permutare Camœnæ unquam dignabantur.

Quæ si vere collecta sunt, nemini credo non satis constare videbitur, artium liberalium Græciam fuisse patriam, Romam nonnisi officinam quandam, in qua, sicut in ludis pueri, imitari tradita exempla artifices conabantur, neque ipsi quicquam proprium invenire ausi, nec, quæ in manibus habebant, exempla satis periti, qui adæquarent. Quod et ipsis Romanis visum

[g] Cic. Brutus.

esse constat. Liceat exemplis uti et Horatio, qui "pateras, et tripodas, præmia fortium Graiorum," se habere, et "divitem artium, Quas aut Parrhasius protulit aut Scopas," esse gloriatur: et Tullio, qui Græcorum opera colligendi cupidus, "Genus hoc," inquit, "est voluptatis meæ:" negatque se Attici libros Crassi divitiis, ne toto quidem orbe mutare velle. Quod si hic, tanquam in limine, diutius, ut in re satis cognita, immorati esse cui videbimur, at satius mihi visum est propter vel notiora exempla proposita dicacitatis crimen subire; quam propter omissa negligentiæ. Nec, ipsa re incerta, causæ quæri debent.

Jam ad illam, quæ propria institutæ hujusce disputationis est, quæstionem progrediendum; ut causas scilicet doceamus, cur in liberalium artium studiis Romani Græcis vix pares, nedum superiores, evaserint. In quo animadvertendum, non tam nunc, quæ esse potuerint causæ, mente et cogitatione fingi debere, quam, quæ fuerint, e rerum historia expeti. Cum autem nonnullis eorum, qui de hac re jam disputaverunt, satis visum est diversitates duarum istarum gentium enumerare; quasi necessario hæ causæ fuerint ejus, de quo quærebant: aut parum curiosi id ingenii est, aut in argumentando parum exercitati. Insequenti igitur via incedet hæc disputatio nostra: non tantum proprietates utriusque gentis indagabitur, verum etiam, quatenus earum quæque artium studiis interesset, cum ex ipsarum fastis, tum etiam collatis aliarum gentium exemplis investigabit. Causæ enim cujusque rei haberi debent, non, quæ semel vel iterum cum ea conjuncta sunt, sed, quibus absentibus, abest

semper, præsentibus semper adest id, cujus causæ esse velint. In duas autem potissimum partes se dividit hæc causarum investigatio; alteram earum, quæ in ipsarum gentium diversitatibus contineantur; alteram earum, quæ in dissimili artium exercendarum ratione ab utrisque usurpata. Quarum partium utraque iterum in complura capita discedet: cum et ipsæ gentes regione, institutis, moribus, ingenio differunt; et artis rationi subjiciuntur partes, ut doceamus, quis finis utrisque propositus sit, quales utrinque artium studiosi fuerint, qua præparatione uterentur, et his similia. Ex quibus cum nonnulla penitus jampridem examinata sint, alia fere neglecta, vel obiter tantum commemorata; de singulis jam ordine pauca pro virili disseremus.

De regione igitur prima dicendum. Quæ quidem nonnihil certe ad id, de quo quærimus, contulit, sed haud scio an quantum nonnulli sæpius voluerunt. Sunt enim, qui dicant cœli et terræ naturam non nutrivisse tantum Græcis artium palmam, verum etiam sevisse. Cœli enim claritatem, Tempes delicias, Olympi et Parnassi terrores, Ægæum mare tot insulis distinctum, has veras Græcorum Musas fuisse existimant; hinc poeseos ubertatem, hinc signorum pulchritudinem; nec generi sed locis numina afflavisse. Alii vero, iique prudentissimi homines, ad regionem artes (si non cunctas, at eas certe, quæ in forma sunt) pertinere ita ducunt, quod vestium moderatrix regio est, Græcum autem cœlum formas apertiones sinit, ludis et foris apricationibus favet. Tertia opinio est eorum, qui cœlo et regioni singularem illam Atheniensium hilari-

tatem tribuunt, unde artes eorum natas esse arbitrantur. Qui quidem omnes hactenus vere sentiunt, quod consensu omnium ita nos a natura constituti sumus, ut rebus externis magnopere moveamur; et locorum diversitatibus diversa plerumque populorum ingenia respondent: undecunque id fit, utrum ex ipsa locorum vi atque aspectu, an propter alios victus et mores aliis locis accommodatos. Quod tamen nec de universo genere semper obtinet, nec in finita hac nostra quæstione locum habet. Quid enim? si propter regionem Græci Romanis superiores evaserunt, necesse est Italiam parum arti convenire. Quod adeo non est, ut hodierno tempore, qui statuariæ se aut picturæ ex nostratibus dederint, aliquantum temporis in Italia omnes exsulent, cum propter tot exempla ibi visenda[h], tum etiam, quia cœli benignitatem artium studiis ibi favere judicant. Quæ si nunc favet, cur non et olim? Græciæ vero nunc quotum quemque invenies artium studiosum? at etiamnunc, ut ait Byronus noster, licet reliqua omnis gloria inde decessit, perpetua tamen sua æstate inauratum ridet Græciæ littus. Neque vero nunc tantum, verum etiam tum cum instaurare diu sepultas artes reddita Europæ sine superstitione religio inciperet, princeps iis non Græcia sed Italia incubuit; nec Athenis sed Venetiis, Florentiæ, Romæ propter ea gratiam debemus. Quinetiam constat, statuaria plus quam reliquis artibus Græciam cæteris gentibus antecellere; quæ minime omnium ad regionem pertinet. Qui enim loca pingat, aut qui templa ædificet, hic vastis saxorum molibus, ille variis regionum amœnita-

[h] Reynolds' Lect. on Painting.

tibus haud scio an non plurimum debeant. Signa autem hominum, non locorum, sunt. Quare rectius ii, qui signorum Græcorum præstantiam præstantibus ipsorum hominum formis tribuunt: multum enim prosunt excellentia exempla. Atqui Phidiæ illius vel Polycleti signa majorem habebant dignitatem, quam quæ in uno ullo homine visa est: quod imitatione fieri omnino non potuit. Quare ne hæc quidem vera ejus, de quo quærimus, causa est habenda. Præterea si de universo genere spectamus, parum constat artes secundum cœli naturam alia alias fortuna evasisse. Quid enim? architecturam in artium numerum accipimus. Hanc autem perfectam absolverunt non Athenæ istæ sole renidentes, verum Septentrionali frigore horrentes Germaniæ Galliæque fines. Quæ si cui natura plus reliquis ad frigidiora loca pertinere videbitur, quid de musica is? quid de poesi? Quarum illa quidem qualis apud Græcos exstaret, parum jam constat: quod si aut reliquias ejus, quarum in manibus jam unam et alteram habemus, aut traditam de ea a gravissimis auctoribus, Euclide, Plutarcho, Ptolemæo, memoriam cum enucleatis, qui nunc sunt, et ad harmoniæ regulas effictis concentibus conferamus, non possumus quin recentiora Germaniæ veteribus Græcorum carminibus anteponamus; hanc autem, poesin dico, etiamsi principem ejus Homerum confitemur, non alienam tamen aut nobis aut Germaniæ esse testantur Shakspearius, Miltonus, Goethius, Schellerus, aliorumque haud spernenda multitudo. Nec vero ad recentiores eamus necesse est. Ipsorum enim Græcorum, quæ secunda ab Athenis artium disciplina fuit, eam non Lacedæ-

mon tulit, nec Thebæ, ne Corinthus quidem, sed Rhodos insula: hic Laocoon ille factus, his cum plurimis aliis egregiæ magnitudinis Colossus; inter locorum delicias, sed molli Asiæ, non Græco sub cœlo. Quibus proximam laudem sibi pepererunt Siculæ Græcorum urbes, Syracusæ, Leontium, Agrigentum. Ne iis quidem qui ab Athenis se Romam contulerunt, exilio finita ars fuit, sed alias ob causas, quas infra docebimus, quæque in Græcia æque ac Romæ impedimentis erant. Quæ quum ita sint, nonnihil quidem interesse arti loca dicendum est, quoniam loca sunt, in quibus florere artem posse via crederes: sed adjuvare tantum vel non officere: causæ esse, cur Græcia Roma in artium studiis superior evaserit, minime haberi loca debent. Id certe utile Græcis contulit patriæ non amœnitas sed situs, quod commercio cum Asiæ et Orientis gentibus, imprimis Ægyptiis et Phœnicibus opportune jacebat. Quorum hos vel a primis temporibus Græciæ advectos fuisse ipse Homerus[1] docet, illi quantum cum Græcis agerent, auctorem habemus Herodotum: nec fieri potuit, quin, quæ ii sic mercarentur, ornamenta exemplis essent unde orirentur prima Græcæ artis initia. Sed cum sint, qui omnia Græcæ ad Phœnices referre velint, neque quicquam proprii in Hellade natum esse existiment, his assentiri eo minus possum, quod tamdiu durabat primæva illa Dædali vetustas et austeritas, ut vetera illa exempla perfectæ, quæ postea fuit, artis causa haberi nullo modo possint: et præterea si hoc artium cum Phœnicibus commercium fuisset, nonnihil sane ex monimentis ac scriptis Phœniceis Græci ser-

[1] Od. xiii. 472.

vaturi fuissent, quemadmodum Græca Romani servabant tradebantque. Neu cui videatur, si similia inter se erant Ægyptiacæ Græcæque artis initia, necesse igitur esse Græcos ab Ægyptiis artem esse mutuatos: una enim in omni gente et eadem fere semper fuit prima nascentis artis species. At latius extenta rerum experientia acriorem facit ingenii aciem: nec sine complurium generum scientia et disciplinis ars multum provehi potest. Quorum utrumque Græcis propter loci situm et commercium contingit, Romanis, qui nulla fere cum exteris gentibus nisi belli commercia habere voluerunt, fere omnino defuit. Accessit quoque, quod natura Græcia in civitate, quot nulla alia ejusdem magnitudinis tellus, perpetuis montibus divisa est. Unde quanta inter urbes in artium studiis æmulatio oriretur, argumentum habemus prope divinos illos honores, quos Olympiaco victori patria cumulare semper gestiebat; neque enim sibi, sed patriæ, victoriam ii peperisse habebantur. Quod quidem incitamentum Romanis omnino non fuit; cum subjectæ gentes inter se certare non curabant, Romanus autem peregrina omnia despiciebat. Nec urbium æmulationem solam apud Græcos locorum varietas genuit. Sed ut Athenarum exemplum intueamur, quam exigua harum terra fuit! quanta propter locorum ejus diversitatem studiorum morumque varietas! montani, agrorum possessores, nautica multitudo, urbanum vulgus, docti viri atque philosophi: quibus universis placere artifex debebat. Qui autem tam dissimilium laudes aucupatur, nihil is extra modum, nihil præter naturam, nihil ad unius alicujus voluntatem fictum proferat:

quæ eorum fere semper vitia sunt, qui uni tantum hominum generi vel ordini consulant; simplicia sint omnia, et ad rerum veritatem et ad communem omnium sensum accommodata, nec in uno tantum genere, aut iisdem semper formis expressa. Quæ quidem diversis hominibus satisfaciendi necessitas nonnulla certe ex parte, ut mihi videtur, effecit ut omnibus omnium temporum ac locorum præ cæteris Græca ars specimen esse visa sit. Restat jam ut unum aliud, quod Græcis quam Romanis excellentius regio præstitit, et quod statuariæ haud parvi sane interfuit, referam: materiam dico, ex qua signa facienda erant; Græcis enim marmoris copiam, ut nusquam, præbuerunt Hymettus, Pentalicus, Lycabettus; Romanis tophus suus fuit, viis et cloacis valde idoneus, a signorum genere penitus abhorrens. Reliquum enim illud, quod nonnulli proferunt, pulchritudines operum in Græcia propter cœli benignitatem in æternum integras manere, commune ei cum Roma fuit; id quod a Plinio[k] animadversum legimus sic; "exstant certe hodieque antiquiores urbe picturæ Ardeæ in ædibus sacris, quibus equidem nullas æque miror tam longo ævo durantes in orbitate tecti, veluti recentes: durant et Cære, antiquiores et ipsæ." Quæ cum reputemus, confitendum sane est nonnihil ad id, de quo quæritur, contulisse regionum dissimilitudinem; totum id continere eam non confitendum. Amœnitatem Græcia habebat, qualis artium studia pateretur, et animi hilaritatem foveret; quam tamen et Romæ quoque affuisse, nec ad artes omnino necessariam esse supra dictum: mercaturæ

[k] Nat. H. xxxv. 3.

opportuna Græcia multo magis quam Roma jacebat: exiguæ Græcorum civitates æmulatione accendebantur, quæ in uno Romanorum imperio nulla fuit: materia denique his prava, illis quam præstantissima accessit.

De regione igitur hactenus. Nunc ad secundum illud eamus, ut, institutorum dissimilitudo quatenus ad propositam quæstionem pertineat, investigemus. Instituta autem sunt aut sacra, quorum sunt quæcunque ad Deorum cultum pertinent, ludi, pompæ, chori, ipsa cultus ratio, templa, et his similia; aut civilia, quæ ad rempublicam, ut leges, ordinum inter se societas, negotiandi potestas, omnia quæ non consuetudine tantum sed finitis regulis constituantur. De sacris prius dicendum. Quæ quidem magnopere ad rem nostram attinere omnium consensu existimantur: nec injuria. Prima enim artis initia, quamcunque ad gentem animadvertas, e religione passim orta invenies; aut ut numen magnificentius coleretur, aut ut ipsum cultoribus ejus præsens recluderetur. Rudium enim semper est ad corporea et sensu percipienda confugere, remotiora, quæ intelligere nequeunt, negligere. Testis omnium gentium antiquitas, quam difficile sit invisibilia credere. Itaque causa artis et principium religio: quæ adumbrare divinas species et cultorum oculis proponere passim volebat. Exempla cumulare in re tam certa quid valet? Ægyptiorum Indorumque simulachra accepimus, nulla pulchritudine, rudi tamen mole infinitam quandam divinitatis speciem præbentia; ipsam Judæorum gentem, penes quam immorabatur vera Dei notitia, imagines sibi et signa quæsivisse novimus; et inter recentiores renas-

centis in Italia picturæ et statuariæ nullam aliam causam fuisse constat, nisi ut ornarentur sanctæ ædes, aut effigie proferretur vel ipse Christus vel aliquis ex sanctissimis eorum, quos præcipuo honore et memoria quæque urbs prosequeretur. Græciæ ita se rem habuisse perspicuum est, cum multas post inventas pingendi et statuariæ artes Olympiadas nulla ibi exstaret hominis effigies, Dis atque heroibus iste honore reservato: quin et ante earum inventionem mos fuit informes lapides, non ut Deorum effigies, sed ut eorum naturæ ac munerum quasi signa quædam sive symbola, venerari; cujus exempla diutius manebant Hermæ illi Athenis, Romæ Priapi, et inter alia Venus illa Paphia, quam usque ad suam ætatem Tacitus cultam fuisse tradidit[1]: principio passim stabant. Romæ multos post urbem conditam annos signum prorsus nullum fuit; Tarquinio regnante, primum immigrasse ea feruntur; nec injuria. Romano enim non fictæ poetarum fabulæ mythologiam fecerunt: Martis progenies bello et armis parentem valde comprehensibilem colebant: quid illi formis Deorum opus fuit? Quod si e Deorum cultu ars oriebatur, natura evenit ut similis ea esset ei, e quo orta est: si obscura religio, obscura quoque ars; si pulchra ac finita religio, ejusdem modi quoque ars. Itaque Ægyptiorum, quorum mysticæ et horrendæ religiones sunt, eaque sacerdotibus incerte, cæteris prorsus nulla opinione adumbratæ, respondit religioni ars. Templa eorum in terra cavata: omnia in obscuritatem et terrorem composita; simulachra aut nunquam visarum belluarum, sphyngum,

[1] Tac. Hist. ii. 2.

aut hominum, nulla forma, incredibili magnitudine, quorum nonnullis caput humanum in lapidem informem desiit, aliis tota hominis figura, nihil tamen humani affuit; omnia sublime aliquod, pulchritudinem nulla habent. Indorum templa, haud minora Ægyptiacis, vastam et pulcherrimam habent magnificentiam, quanquam infecta omnia et infinita sunt; simulachra rudia nec humana; poesis et rebus et sermone pulcherrima est: quorum religio quoque similem ad modum cum pulcherrimis insanissimæ poeseos fabulis nonnulla ad simplicem veri certitudinem accedentia mira inconstantia conjungit. Neque vero artifex, quæ incerte conceperit, certa forma induere poterit: sed quo certiorem cujusque speciem habeat, eo propriorem effigiem ejus manus perficit. Quamobrem ea maxime arti favet religio, quæ et plurimos Deos et certissimis quemque formis et muneribus præcipit. Qualis præ cæteris erat illa Græcorum. Quæ quidem qualis fuerit, quis non satis intelligit? quam pulchra specie, quam vivo et, si ita dicam, poetico spiritu plena? Quid enim? Deos non modo esse sed ubique esse, et in omni re divinam aliquam innasci naturam cum sentirent ii et tota mente infixi intuerentur, innumerabilem idcirco cœlestium et terrenorum numinum multitudinem credebant, sic ut nihil quod usquam esset non proprium suum numen haberet: mare, tellus, cœlum, sidera, montes etiam, silvæ, fontes, et flumina, Nymphis Faunisque suis plena habebantur. Adeo vita et formis animi species induere iis cordi fuit. Quas populi opiniones firmavere, si non genuere, Homeri et Hesiodi poemata, quorum auctoritate adeo ratum fuit cœli concilium, ut

ipsi deos Græcis dedisse Herodoto illi viderentur. Hinc suam cuique naturam et dignitatem tribuit popularis fides: hinc species eorum et lineamenta artifices fingebant. Quo nihil potuit arti magis convenire. Hinc nobilem illam Jovis Olympiaci speciem Phidias concepit, ambrosias comas metu quatientis; hinc Apollinis Averrunci, in letiferæ sagitta stridorem intenti; hinc Minervæ peplo indutæ: Huc, qui post fuerunt, artifices semper confugere, unde res arte dignas mutuarentur. Majestas sua cuique propria fuit: nihil confusi, nihil humilis, nihil obscuri. Egregia sane statuariæ materies, parata jam et vero artifici ante mentis aciem palam proposita! Nec soli statuariæ materiem hic Deorum numerus præbuit: hinc enim nobilis illa architectura, quæ delubra Dîs digna exstrueret; hinc poesis et musica, ut hymnis Dî celebrarentur; hinc ludi et certamina per festos Deorum dies, quæ imprimis effecerunt, ut tam insignia humanæ formæ exempla eaque tam varie disposita artifex haberet, de quibus perfectæ formæ speciem elaboraret. Romanis longe alia fuit religio: quanquam hi quidem post Græcam cognitam eadem sibi ac Græcis numina esse confirmabant, et Jovem suum Δία esse, Junonem Ἥρην, Cererem Δημητρά, Neptunum Ποσειδῶνα, et reliquos eodem modo. Quemadmodum quoque apud Gallos quinque Romanorum Deorum jam tum cultos fuisse Cæsar scriptum tradidit; et ipsi Græci sua ac Ægyptiorum numina eadem fuisse vindicabant. Quod tamen non ita se habuit: quamvis enim, quoniam eædem passim rerum leges obtinent, similes Deos idpropter omnes gentes opinaturæ essent, at nec ejusdem naturæ

Jupiter ac Ζεύς, nec eodem ritu cultus; et reliqui eodem modo. Defuit enim Romæ poesis: nec quicquam ibi divinum visum est, nisi quod utile esset. Urbs Romanorum Deus fuit: et hanc armis et legibus augere sola eorum religio. Quis autem de Virgilio unquam posset, quemadmodum de tribus illis Homeri versibus Phidias, aut Jovis aut Minervæ effigiem facere? Neque vero, ut ait Schellerus ille, in imitatoribus illis Græcorum petenda est vera Romanorum poesis, sed ad campum Martium, in circos gladiatoribus confertos proficiscendum est: aliena ab arte numina! aliena cultus ratio! Quam diversi Græcorum ludi! Dum starent Misericordiæ et Pietatis simulachra, negabant illi in Græciam ullas gladiatorum cædes excipi posse. Proponamus ante oculos Olympiacum illud certamen, et universam Græciam eo congregatam: die æstivum jubar, noctu plena Luna per oliveta et sacrum nemus Alpheique undam cœli consensum prædicant; omne Græcum nomen, omissis bellis, innocua inter se certamina ineunt; (nec telis certare licitum, sed optimo corpori victoria fuit) inde pompæ, hymni, victorum gratulationes; et patefactum illud omnium præclarissimum Jovis simulachrum. Quid? nonne artibus pax ista et innocua illa certamina cæde et telis magis consentanea? nihil profuit, ex longinquis Asiæ Thessaliæque finibus patria repetita reficere veterum morum memoriam et renovare? nihil arti interfuit, pulcherrima corpora habere pro formæ exemplis, hymnos laudationesque a Pindaris effictos audire? nihil tantos hominum concursus communicare sua, aliena discere? nihil tantum victoriæ

studium urbes æque ac singulos homines in æmulationem accendere? nihil denique opera atque artes tanto omnium honore cumulata intueri? Equidem vero confirmare ausim, nihil fere aliud tantopere Græcas artes auxisse, quanto πανηγυρεις illæ, quas vocabant, non Olympiacæ solæ, sed quarum exemplum licet Olympiacam proferre. Artem enim, ut supra dictum, passim religio et creavit et in sui similitudinem finxit. Græca vero religio, quæ et plurimos Deos credidit, et pulcherrimam poesin secuta certa sua quemque specie concepit, nec cultu tristi aut cruento usa est, sed ædes, hymnos, ludos, simulachra pro virili pulcherrima præcepit, effecit ut omnibus omnium ætatem specimen Græca ars permaneat: Romana, quæ, etiamsi nomine haud pauciores Græcis deos coleret, nihil certum de singulis credidit, sed in urbe tota continebatur, artem propriam nullam genuit, nec quas de Græcis mutuata est aut auxit aut integras servavit. Sed non tamen ad religionem aut poesin, quasi ultimæ illæ causæ ejus essent, revocare Græcam artem oportet: rectius ii, qui hæc tria, religionem, poesin, artem, nonnisi ex una eademque causa complures fructus esse velint. De quo infra dicendum.

Nunc ad secundam illam institutorum partem, quæ civilium est, progrediendum. Quo in loco si (ut isdem, quibus antea, exemplis utamur) ad vetustissimas illas Indiæ et Ægypti gentes animadvertamus, penes sacerdotes in illis omnis potestas esse videbitur, reliquis nec scientiæ nec rei civilis ulla parte permissa: in ordines pro negotiis populus divisus; nec patriam artem pro ingenio mutare, aut ex ordine in ordinem

migrare cuiquam licitum. Sed, sublato negotiorum delectu, hereditate non ingenio studia distribuere quorsum tendit, nisi eo, ut patriis regulis semper obtemperetur, neque quicquam aut novi aut animosi, ut ab incuriosis, efficiatur? Itaque Indorum Ægyptiorumque simulachra ad regulas et justam mensuram elaborantur; sed nec recentiora veteribus præstant, neque ulla sensum quenquam aut vitam significant. Sacerdotum igitur imperium artibus inimicum videtur. Atqui in Græcia sacerdotes plurimum antiquitus pollebant, nullo artium detrimento. Neque vero ulla reipublicæ forma est, quæ aut nunquam aut semper cum præstanti arte conjuncta est. Inimica summæ arti regia potestas est, quia, qui subjecti sunt, egregii labore aut ingenio fieri aut metuunt aut, ut rem inutilem, non curant. Atqui sæpius reges, qui propter magnificentiam artibus faverunt, fauste et feliciter id aggressi sunt. Roma primum imperante Augusto, deinde sub Papa Leone Decimo, artes, ut nunquam dum respublica fuit, provexit. Galliam Ludovicus egregie artibus ornavit. Sed quoniam artes, sicut arbores, quæ sponte surgunt, lætæ et fortes surgunt; (artis enim est nasci, non fieri) regnorum est copiam parere, non excellentiam. Contra libertas et paria jura maxime arti favere natura videantur: quia et cuique licet pro ingenio studia sequi, et felici labore se efferre quisque potest, et munera civilia animos civium et vitam acuunt nec segnitia torpere sinunt: cujus exempla habemus Venetias, Genoam, Florentiam, Pisam. Atqui veterem ante principes Romam, at hodierno tempore Angliam et Americam liberas

esse nemo non confiteatur; in quibus tamen artium liberalium nullus est locus. Græciam animadvertamus: omnes ibi rerum publicarum formæ erant; Argi Polycletum et alios in pictura nobiles genuere; secundæ ab Athenis in Hellade evaserunt Sicyon et Corinthus; in Asia primas Rhodos multa cum laude tulit: quanquam hæ quidem oligarchiis, quas vocabant, obtemperabant; res minime arti idonea, cum major pars civium servilem ferè locum obtinent. Ne Spartæ quidem, licet Spartanis tam illiberalia studia exercere vetitum, non Lacedæmonii aliquid eximium assequebantur; sed, ut de pristinis Romæ moribus Horatius,

> "Privatus illis census erat brevis,
> Commune magnum.
> Nec fortuitum spernere cespitem
> Leges sinebant, oppida publico
> Sumptu jubentes et Deorum
> Templa novo decorare saxo."

Quin tyranni, quid? Polycrates, Sami, Pisistratida, Athenis, Hiero Syracusis artes quam maxime fovebant. Quid igitur? si in omnius modi civitatibus ars aliquantum floruit, nonne negandum propter instituta id usu venisse? Creare artem instituta et leges proculdubio nequeunt. Quod si eandem perfectiorem sub hac quam sub illa reipublicæ forma evasisse videbimus, alere eam alia, alia reprimere nonne existimandum? porro si florentissimas artis ætates sub iisdem institutis fuisse, nonne egregie ista arti idonea esse concedendum? Ita quidem videtur. Jam duas omnium præstantissimas in artium liberalium studiis urbes accepimus Athenas et Florentiam. Quarum in illa primum sub Pericle perfecta ars fuit, in hac sub

Laurentio renata. His autem admodum similes inter se fuerant rerum publicarum rationes. De Athenis breviter ille Thucydides, *ἐγίγνετο λόγῳ μὲν δημοκρατία, ἔργῳ δὲ ὑπὸ τοῦ πρώτου ἀνδρὸς ἀρχή.* Quæ qualis esset, longius idem Periclem exponentem fecit; cum negat quenquam propter obscuritatem jus aut potestatem consequi non posse; omnibus enim cui quisque velit studio se dare sine invidia licere; unde et singulos cives plura quam ullius alius civitatis cognita habere, et universam urbem reliquæ Græciæ specimen esse. Cui simillima fuit sub Laurentio Florentia. Penes populum nomen imperii fuit, sed ut Laurentii gratia plus quam plerumque regum potestas ad omnia dirigenda polleret. Unde factum ut, quum ipse et studiosus artis et peritus esset, urbem eo tolleret, ut, quod ad liberales artes, proxime ab Athenis illis Pericleis abesset. Quam quidem civitatis rationem (in qua scilicet liber populus ab uno prudenti homine ducitur et dirigitur) et ipsa ratio docet arti esse idoneam. Multitudini enim duce opus est, qui et eorum facultates, cui præcipue aptæ sint, videat, et ipse exemplo et favore eos ad id convertat, et universam urbem concordia stabiliat; certare autem ingenio libertas docet, quoniam servorum ipsæ mentes vincula sentiunt, liberorum panduntur audacius et elatiora concipiunt. Quod causæ est, cur, quanquam largiore sumptu reges artibus favent ideoque majorem artificum numerum ad se contrahunt, at nec vis in illis insit, nec ingenii ubertas, quas libertas sola alere potest; sed ad unius arbitrium gratiæ ineundæ causa, non artis promovendæ ad rerum veritatem omnia fingantur. Quæ una certe ex causis fuit, quod tantus Augusti erga artes favore

Romam Athenis æquare non potuit. In obsequium enim tum, ut nunquam alias, omnia erunt composita: postea, imperante Hadriano, degenerati mores artem quoque inquinaverunt. Senex autem jam Roma se artibus dabat; quamdiu enim juventate viguit, in bello tota fuit. Nec solæ Jani fores semper apertæ artem impediebant: sed a regibus ad principes in eo semper Roma fuit, ut pro civitate perpetuæ populi cum plebe dimicationes essent, nec tam libera respublica quam alterius partis dominatio continuaretur; unde nec otium cuiquam nec tranquillitas ad artium studia contigit. Artibus enim aut venustati nec ab homine nec a civitate ante studetur, quam saluti et necessatibus provisum sit; nec, qui capitis minor sit, ad artes et alias res agendas prius vertetur, quam sui arbitrium aut consecutus sit, aut consequi se nequire experiendo didicerit. Quare nec florente republica bellici tumultus, nec senescente sub principibus obsequium, Romanæ arti conveniebant. Quod si singulas leges conferamus, Athenis lege vetitum, ne servitia artibus liberalibus studerent; quo honestis manibus eæ reservabantur; et liturgiæ illæ, quas vocabant, magno cum artium adjumento institutæ sunt: Romæ nescio an conjicere liceat, quia fabrorum et tibicinum centurias accepimus, certis ordinibus, sicut in Ægypto, artes ita permissas esse, ut hereditate filius in patris artem succederet; quo nihil potest magis arti nocere; nobiles pueri ne in scena partes agerent, vetitum; consulares viros senatu a censore motos accipimus, qui decem pondo argenti facti haberent, adeo in simplicitatem ac parsimoniam omnia con-

stituta sunt: qualem vero erga talia animum Romanus postea haberet, exemplum habemus, ne fautum tum scientiæ credamus, frequentes illas mathematicorum ex urbe expulsiones. Ponendum igitur Romæ leges et instituta artibus semper offecisse; Athenis contra fuisse eam reipublicæ formam, quæ arti maxime est idonea: eamque nonnihil ad artium, quæ ibi summa fuit, perfectionem contulisse existimandum: sed quoniam nulla inter veteres, nec inter recentiores civitatis forma exstitit, quæ aut semper aut nunquam cum liberalium artium studiis conjuncta sit, in institutis artem contineri non existimandum. Quinetiam ipsa institutorum diversitas ad ingenium referenda est: nec vera est eorum sententia, qui, quia cum institutis ingenia populorum variare vident, idcirco et institutis ingenium pendere arbitrantur. Sicut enim singuli cujusque hominis acta mores ejus sua vice afficiunt, quæ tamen ipsa ex moribus profluxerunt: et civitatibus quoque instituta populi ingenium afficiunt, sed ipsa tamen multo magis ex illo pendent.

Quod si cum institutis sacris et civilibus res ita se habet, quid de moribus dicendum? quoniam de iis ut tertio dicamus, ab initio nobis propositum fuit. Ad mores autem, tanquam ad caput, referre omnia velim, quæ in consuetudine vel opinione potius quam in lege et instituto contineantur. Huc igitur pertinent vitæ quotidianæ usus, negotiorum æstimatio, puerorum disciplina, oblectamentorum genus, et his similia. Quo in loco, quoniam Athenæ in artibus facile principes Græciæ et ut ait Thucydides παιδευσις erant, reliqua autem Græcia nonnisi repercussa harum luce splendeat,

satisfactum erit huic nostræ quæstioni, si solas Athenienses cum Romanis conferamus. Spartani enim mores, qui omnia præter naturam ordinabant, nec ad quicquam aliud spectabant, nisi ut militum gens fieret, artibus minime conveniebant. Vere enim ingenuis artibus mores emolliri solent; sed verum etiam est, nisi prius mores emolliti fuerint, artes oriri non posse. De reliquis urbibus nec satis constat, nec singulas aggredi pretium esset. Athenis igitur servitiis tradita sunt omnia, quæ in manu et labore sunt, negotia, agricultura, et quicquid *βάναυσον* videbatur; ipsa mercatura, qua tantum urbs pollebat, penes metœcos fere omnis fuit; civitatem et otium ipsi cives prosequebantur. Quod si universam urbem in divites et indigentes dividere velis, illam divitum partem otium ad literarum et artium studia convertit; usu enim venit, ut in philosophorum ludis, in porticorum apricationibus, in academiæ hortis, in aliis rebus agendis, Atheniensium si quis satis nummatus esset, totam fere vitam ageret. Neque enim domesticæ vitæ, ad quam hodierno tempore a negotiis et tumultu tanquam in perfugium se recipere moris est, quisquam gaudia tum curabat; fœminarum enim nulla ratio habebatur, quæ etiam dubitatum an in hominum genus referendæ sint, an virtutis aut scientiæ capaces: neque vero in civilia Ecclesiarum aut judiciorum munera divites se recepturi erant; in quibus numerus prohibebat, quominus ingenio aut ordine quis multum valeret, nec tumultus tam cultis tamque venustis placebat. Ad otium igitur et artes confugiebant. Indigentes vero, quanquam hi quidem propter cœlum et usum minimo victu contenti,

tamen, cum propter negotiorum contemptum summa plerique penuria uterentur, miseriarum solatia quærebant. Hinc publicæ illæ ludorum ac scenæ exhibitiones, hinc sumptuosi illi privatorum hominum apparatus, choregiæ illæ et tribulium epulationes; quibus vulgus laborum deciperetur, nec ad divites per decreta spoliandos properaret; θεωρικὸν illud, quod ad belli necessitates velle impendere capitale fuit. Neque enim ad turpia aut crudelia se delectandos ii recipiebant, sed ad gymnasia, sed ad pulcherrimas illas Æschyli Sophoclis Euripidis tragœdias: quas incredibili modo capta laborum et angustiarum oblita navalis illa multitudo totum diem fixa stupebat. Quæ cum Atheniensium studia et oblectamenta essent, consentanea iis fuit quoque puerorum disciplina. Tria enim docenda rebantur, γραμματικήν, μουσικήν, γυμναστικήν, quibus et intellectum et mores et corpus instituerentur; præ cæteris vero μουσικήν, sive literarum artiumque elegantium notitiam. Cujus quoniam finem pulchritudinem esse haberet, maximus ejus laudator Plato fuit[m]. Aristoteles autem idcirco doctam graphicen quoque fuisse tradit, ut pulchrorum corporum contemplatione ad ipsum pulchrum animus duceretur[n]. Adjunctæ his erant, si quis ultra erudiri vellet, philosophia et rerum publicarum scientia. Quod si ipsorum mores et educatio adeo artium studiis favebant, accessit quoque id, quod Pericles de iis gloriatus est, quod ξενηλασίαις non utebantur. Unde congregati eo sunt peregrinorum quisquis aut artibus eorum studere aut suas communicare vellet; usitatissimæ proculdubio rei exemplum

[m] De Rep. iii. [n] Pol. viii. 3.

Gorgian habemus; nec dubitandum, quin peregrinantium frequentia et multum novi afferret, et civium studia æmulatione incitaret. Romani contra, quamdiu respublica fuit, agriculturæ et militiæ solis studebant, nec, ut ait poeta, in ulla alia civitate tamdiu manebat ruris honos: urbanum vulgus nonnisi fæces civium erant: elegantiam luxum appellabant, et mulcta notandam censebant. Quod si Romam, qualis Augusto imperante fuit, intueamur; posita militia, non ad artes liberales sed ad legum et juris civilis scientiam se conferebant elatissima quæque ingenia; qui Athenis philosophaturi fuissent, Romæ juris periti erant; eloquentiam colebant, judiciorum certamina amabant; seria enim et usus etiam tum iis cordi fuit. Neque vero cum armis feroces animos exuerant: pro oblectamentis habebant gladiatorum cædes, ferarum pugnas, vulnera et cruorem. Aut, si quando in theatrum ibant, quo animo id facerent, Horatius ita queritur[o],

> " Si discordet eques media inter carmina poscunt
> Aut ursum aut pugiles; his nam plebecula gaudet."

nec sola plebs id,

> " Verum equitis quoque jam migravit ab aure voluptas
> Omnis ad incertos oculos, et gaudia vana.
> Quattuor aut plures aulæa premuntur in horas,
> Dum fugiunt equitum turmæ, peditumque catervæ;
> Mox trahitur manibus regum fortuna retortis,
> Esseda festinant, pilenta, petorrita, naves,
> Captivum portatur ebur, captiva Corinthus."

Quinetiam cum liberis et conjugibus spectabant: cum quanta muliebris animi corruptione, satis notavit Juve-

[o] Ep. ii. l. 190.

nalis. Adeo nihil jam de castitate illa et mulierum reverentia, quibus olim vetus Roma nituerat cum "matronæ nomen profuit urbi," restabat: conferta exemplis Taciti et Juvenalis scripta sunt, quæ docent, quanto vel pessima Græcorum exempla excesserit apud Romanos vitiorum fœditas: nec Corneliæ cum Liviis et Messalinis æquales esse poterant. Cum morum autem fœditate summa ars societatem habere nequit.

Nunc ad quartum illud, de quo instituentibus nobis propositum fuit ut disseramus, ingenium proficiscamur. In quo, ut mihi videtur, omnis fere hæc quæstio ponenda est. Quid enim? regionem diximus nonnisi prout hilaritatem et concipiendi vim auget, arti interesse; instituta et sacra et civilia non magis formare ingenium, quam ipsa ab eo formari; mores ex ingenio fere omnino pendere; quæ omnia igitur ingenio subjici debent. Ingenium autem est artis causa efficiens. Ars enim non tam res, quales sensibus percipimus, quam conceptas animo species vult exprimere: aliorum autem ingeniorum aliæ erunt species, ideoque artium diversitates. Quemadmodum vero singulis hominibus diversa ingenia, diversas facultates innasci videmus, sic ut, quod hic certissime credit, illi omnino non appareat, quod hic summo opere cupit, ille omnino non curet; cum gentibus quoque ita se res habet. Nec quisquam aut Romanam ac Græcam eandem indolem fuisse, aut Anglicam ac Gallicam, aut Asiaticam quamcunque ac Americanam esse confirmet. Sed unicuique gentium æque ac hominum propria indoles a natura datur pro rerum necessitatibus et muneribus cuique

distributis. Græcum autem ingenium artes natura peperit. Cum enim egregie a doctissimo viro animadversum est[p], in singulis veteribus gentibus unam fuisse et ab uno principio ortam feritatis in humanitatem molliendæ causam, Græcis id effecit venustatis sensus.

Jam venustas quid sit, quoniam minime consentiunt inter se eorum, qui de hisce rebus philosophati sunt, opiniones, quorum alii in habilitate eam et usu ponunt, eaque pulchra volunt esse, quæ ad finem suum habili et accommodata sint figura; alii in harmonia quadam et proportione partium, quarum mensura dicunt oculum ab alia in aliam, nulla turbatione, jucunda quadam continuatione provehi; alii negant posse eam aut animo comprehendi aut verbis et definitione exprimi; sensu tantum percipi, quemadmodum ipsam voluptatem et felicitatem: accuratius disserere ad hanc quæstionem non pertinet. Id necessarium est obiter disserere, quæ venusta sint: quoniam ne hoc quidam inter omnes constat, sed nigræ illæ Africanorum gentes pulcherrima judicant esse corpora, quæ nobis turpissima videntur; et reliquorum opiniones plus minusve inter se dissentiunt; unde falsa nonnullorum opinio orta est, pulchras cuique eas res videri, quarum aspectu sit consuetus. Ista igitur pulchra ac venusta haberi debent, non quæ cuilibet homini videntur, sed quæ iis, qui et exempla omnium generum viderint, et ita morati itaque instituti sint, ut cultissimo cuique judices et auctores boni habeantur. Qualia imprimis sunt Græcorum signa; quæ eo magis quisque admiratur, quo cultior sit et in omni arte curiosior.

[p] Guizot's Civilization, i. 33.

Sed quicquid id sit, quod res pulchras facit, constat esse res, quas eruditi omnes pulchras existiment. Quæ tamen alios aliis multo magis movent. Quid enim? in Musica alii carmina audientes adeo fixa aurium contentione harmoniæ immorantur, ut omnium præterea obliviscantur; alii carmen a carmine omnino discernere nequeunt. In Pictura autem alios admirabili oculorum delectatione detinet formarum pulchritudo, colorum varietas in unum harmonia commista, figuræ ad actionem significandam collocatæ; quibus rusticius pictæ tabulæ vera offensione displicent: alii pulchra ac turpia immoti dijudicant. Et in reliquis simili modo. Quarum rerum diversitates qui non ipsi natura sentiunt, intelligere ea usu et ratione discant, sentire non discant. Natura enim sensus fit, augendus sane usu et disciplina informandus, gignendus nullo modo. Quod idem de universis gentibus per exempla facile docendum. Germania nunc politiorem Galliam omnium consensus judicat: at in illa nulla fere ars non maximam laudem consecuta est, ut videatur ea nunc musicæ sola patria, architecturæ primas, poeseos certe secundas tulisse; in hac ars liberalis omnino nulla viget. America quanto strepitu sibi palmam intelligentiæ vindicat! at artes ibi nondum habitant. Quid? non deest eruditio, non desunt institutorum aut regionis adjumenta; deest vera ac sincera pulchritudinis species.

Quod idem, ut mihi quidem videtur, Romanum a Græco imprimis divisit, estque causæ, cur Græciæ Roma artes suas adæquare nunquam potuerit. Romanis defuit divina illa pulchri imago, quæ animo artificis insita sit necesse est, ut ad justam speciem per-

fecte opus absolvatur. Quæ Græcis quanta inseretur, plenius cum ex philosophorum scriptis tum etiam ex ipsis populi moribus demonstrandum. Primo notandum Græcos primos vocabulis ad corporeos sensus pertinentibus translate de morum virtutibus et vitiis usos esse, ut honestum *καλόν*, turpe *αἰσχρόν*, absurdum *πλημμελὲς* appellarent, et similia. Quod pluris est quam primo videtur. Communis enim verborum usus popularem animum rectius declarat quam paucorum hominum elaboratæ ad opiniones suas nomenclaturæ. Docet vero hic usus Græcis rerum externarum species et animi status analogiam quandam inter se habere visas esse. Unde factum, ut pulchritudinis speciem in puerorum disciplina adhiberent, cujus contemplatione ad elatiora et honestiora proveherentur: nec magis scelera fugiebant Græci quia impia quam quia indecora ea esse sentiebant. Quinetiam Græci cum forma se reliquas gentes superare sentirent[q], ex ipsis qui forma excellerent, honoribus, ut nulla alia gens, prosequebantur. Nonnulli Deorum sacerdotes propter formam delecti sunt, ut Jovis Ægæi, Mercurii Tanagræi, Apollinis Ismenii. Traditur Egesta Crestoniati cuidam, tanquam heroi, propter formam sacrificia fecisse. Aristoteles ille felicitati forma opus esse semel atque iterum confirmat: quod idem Simonides a Platone laudatus, cum unam ex quatuor rebus præcipue optandis *præ divitiis et voluptate* ponit *φυὰν καλὸν γενέσθαι*. Nec incredibile id Xenophon in Symposio Critobulum dicentem fecit, *Ὀμνυμι πάντας θεούς, μὴ ἑλέσθαι ἂν τὴν βασιλέως ἀρχὴν ἀντὶ τοῦ καλὸς εἶναι*. Immo etiam formæ

[q] Winckelmann's Greek Art.

certamina ad Alpheum flumen a prima antiquitate erant: Spartæ, Lesbi, Parrhasiæ, καλλιστεῖα ipsæ mulieres petebant. Tantus fuit apud Græcos formæ honos. Postremum testemur disertissimum illum et elegantissimum philosophiæ auctorem, Platonem Atheniensem. Hic, cum permultis aliis Phædri et Symposii locis de pulchro et amore disseruerit, quæ optima censebat esse instrumenta, quibus animus a turpibus ad pulchra facienda convertantur, ideoque laudabat animum amore accensum, quasi inde ad honesta perrecturum, in uno Phædri loco talia de pulchro philosophatur. "Pulchrum, quod illic lucebat summo splendore, hic habet clara et splendida simulacra. Quamobrem pulchritudo hanc vim habet, ut amorem excitet flagrantissimum; quippe ipsa rerum omnium maxime amabilis; et vero instauret efficacissime omnem pristinæ felicitatis divinique spectaculi recordationem. Ergo recens initiatus, quando divinum aspicit vultum vel corporis speciem ipsum pulchrum plane referentem, primum quidem cohorrescit, ut illic antea; deinde vero aspiciens et contemplatus, ut Deum aliquem colit amasium, et nisi vereretur insaniæ speciem, sacrificaret plane illi tanquam statuæ et Deo." Liceat alterum tantum locum ejus laudare, qui in Symposio celeberrimus est: ubi, postquam gradus per quos a singulis pulchris corporibus ad ipsius pulchri contemplationem incedendum sit descripsit, in laudationem ejus ita fertur: *ἐνταῦθα τοῦ βίου, εἴπερ που ἄλλοθι, βιωτὸν ἀνθρώπῳ, θεωμένῳ αὐτὸ τὸ καλόν. ὃ ἐάν ποτε ἴδῃς, οὐ κατὰ χρυσίον τε καὶ ἐσθῆτα καὶ τοὺς καλοὺς παῖδάς τε καὶ νεανίσκους δόξει σοι εἶναι, οὓς νῦν ὁρῶν ἐκπέπληξαι καὶ ἕτοιμος εἶ καὶ σὺ καὶ ἄλλοι*

πολλοὶ μήτε ἐσθίειν μήτε πίνειν ἀλλὰ θεᾶσθαι μόνον καὶ ξυνεῖναι· τί δῆτα, ἔφη, οἰόμεθα εἴ τῳ γένοιτο αὐτὸ τὸ καλὸν ἰδεῖν εἰλικρινές, καθαρόν, ἄμικτον; ἢ οὐκ ἐνθυμεῖ, ἔφη, ὅτι ἐνταῦθα αὐτῷ μοναχοῦ γενήσεται, ὁρῶντι ᾧ ὁρατὸν τὸ καλόν, τίκτειν οὐκ εἴδωλα ἀρετῆς, ἀλλ' ἀληθῆ, ἅτε τοῦ ἀληθοῦς ἐφαπτομένῳ; τεκόντι δὲ ἀρετὴν ἀληθῆ καὶ θρεψαμένῳ ὑπάρχει θεοφιλεῖ γενέσθαι καὶ εἴπερ τῳ ἄλλῳ ἀνθρώπων ἀθανάτῳ καὶ ἐκείνῳ. Gravissimum sane argumentum est, quanta fuerit apud Athenienses pulchritudinis æstimatio, quod Athenis natus et eruditus prudentissimus homo per pulchritudinis sensum facillime eliciendas virtutes censuit: id quod ipsum Aristotelem, minime poetici ingenii virum, confirmasse jam supra diximus. Nec vero verbis tantum pulchritudinis sentientes esse Athenienses Plato ille docet, sed et ipse se gravissimum ejus præbet exemplum; quippe qui, ut nemo, eleganti et poetica eloquentia tam pulchram philosophiam exegerit. Plura conferre nihil opus est. Quid enim? per omnia eorum studia, omnes mores patet: nec si unum aliquem quis quæreret Græci ingenii quasi cardinem, et talem esse judicaret pulchritudinis sensum, multum is erraret. Quin ipsa opera rem satis probant: quæ cum omnium peritorum judicio tam pulchra sint, ut exempla, de quibus effingerentur, æque pulchra exstitisse non credendum, necesse est ad species in artificum animis conceptas ista fuerint adumbrata: hoc est, id fuerit artifici judicium, is pulchritudinis sensus, ut pulcherrimorum, quæ quotidie videret, corporum quid cuique excellens esset, quid cuique deesset quominus ad unguem perfectum esset, judicare posset, et ex omnibus illis unam sibi pulchri speciem conflare, cui par nullum exemplum

exstiterat. Pulchritudinis igitur non studiosos tantum sed intelligentes etiam fuisse Græcos nemo non concedet.

Nec pulchras tantum, sed certas ac finitas, species concipere Græci fuit. Indos videmus pulcherrimas fabulas et insanissimum rerum sensu percipiendarum cultum cum rerum divinarum opinionibus proxime ad veritatem accedentibus mira inconstantia miscere: omnia vasta et sublimia, sed mystica et infinita, vagis somniantium imaginibus quam ratiocinantium philosophiæ similiora, quæ si comprehendere ratio velit,

"Nequicquam comprensa refugit imago."

Pulchritudinis enim sensus Indis plurimus inest, sed rationis indigens. Græci contra, quanquam popularis eorum fides a veritate quam Indorum longius abfuit, ad rationem tamen semper et intellectus mensuram cogitationes suas finiebant; certa omnia, et ad intelligendum apta desiderabant: unde corporeis formis, quæcunque animis perciperent, induere volebant, et, quæ cogitatione tantum sunt, re existere censebant; hinc critica eorum philosophiæ oriebatur, hinc subtile disputandi acumen. Neque tamen, cum species sibi constare vellent, idcirco ad quotidianæ vitæ usum et rationem omnia referebant. Itaque medium inter Indos et Romanos locum Græci tenent: quippe qui vagas Indorum imagines sicca Romanorum ratione ita temperabant, ut neutra pars alteri obesset. Unde artes quoque eorum auream illam mediocritatem habent. Indi mirabiles fabulas, et vasta nec εὐσύνοπτα templorum spatia; Romani pro poesi leges, pro signis et pictura vias et portas triumphales; Græci poesin, quæ et philosophis et poetis

exemplar est, et perfectissimam omnium, humanam, formam perfecerunt.

Tertia ad artem pertinet Græcorum facilis ingenii celeritas, qua ad diversa studia pariter aptus unusquisque evadit. Cujus et ex ipsis auctorem habemus Thucydidem, qui Periclem in oratione illa super belli primitias habita ita concionantem fecit, *καθ' ἕκαστον δοκεῖν ἂν μοι τὸν αὐτὸν ἀνδρὰ παρ' ἡμῶν ἐπὶ πλεῖστ' ἂν εἶδη καὶ μετὰ χαρίτων μάλιστ' ἂν εὐτραπέλως τὸ σῶμα αὔταρκες παρέχεσθαι*—et idem postea de universo Græco nomine prædicat in opprobrium Juvenalis,

> " Ingenium velox, audacia perdita, sermo
> Promptus et Isæo torrentior. Ede, quid illum
> Esse putes? quemvis hominem secum attulit ad nos.
> Grammaticus, rhetor, geometres, pictor, aliptes,
> Augur, schœnobates, medicus, magus: omnia novit.
> Græculus esuriens ad cœlum, jusseris, ibit."

Quæ ingenii pars quantum ad rem pertineat, apparebit si meminerimus, omnem istam artium laudem inter bellandum Athenienses meruisse. Persis victis, cothurnum repetit Æschylus; ab Antigona et scena in Samum Sophocles proficiscitur. Ita enim morata civitas fuit, ut et *ῥαθυμίᾳ μᾶλλον ἢ πόνων μελέτῃ τοῖς μέλλουσιν ἀλγεινοῖς μὴ προκάμνειν* satius judicaret, et finito labore confestim ad ludos et domesticos apparatus, *ὧν ἡ τέρψις τὸ λυπηρὸν ἐκπλήσσει*, se vertere properaret.

Quod si ad eam ingenii partem, quæ in moribus est, spectemus, primo religiosissimi Athenienses fuerunt: quod audivisse Athenas Sophocles docet in Œdipo illo Coloneo, cum Œdipum querentem facit,

> *τί δῆτα δόξης, ἢ τί κληδόνος καλῆς*
> *μάτην ῥεούσης ὠφέλημα γίγνεται,*

εἰ τάς γ' Ἀθήνας φασὶ θεοσεβεστάτας
εἶναι, μόνας δὲ τὸν κακούμενον ξένον
σώζειν οἵας τε καὶ μόνας ἀρκεῖν ἔχειν;

et δεισιδαιμονεστέρους eos appellantem S. Paullum accepimus. Cujus argumenta quoque habemus Socratis mortem, Æschylum et Euripidem impietatis reos factos, Alcibiadem propter vulgata mysteria damnatum, cum tanto illo propter mutilatos Hermas metu et tumultu, et plurima his similia. Deinde, ad Romanos certe, clementes—nam etiamsi jure ἀκρόχολον Demum Aristophanes descripsit, tamen ad deponendam quoque iram velox fuit: exemplum est eorum erga Mitylenæos in misericordiam versa indignatio: nec, ut tum mores erant, quicquam in bellis eos ultra modum sæviisse traditum; Romanos, expugnatis urbibus, cædem omnium miscuisse, nulla mulierum infantium ne animalium quidem miseratione; Græciæ cum viris bellatum invenimus. Tertio hilares Athenienses erant et oblectamentis dediti: sed iis, quæ venustatem et leporem haberent, et in mentis oblectatione potius essent; hinc ἀνάπαυλαι istæ, hinc iste scenæ tam immoderatus amor, qui in theatrum omnes belli apparatus vellet absumere, hinc venusta illa inter bibendum scholia, hinc propria illa Atheniensium εὐτραπελία. Quartum accedit, quod in culpam Corinthios de iis prædicantes Thucydides fecit, τὸ νεωτεροποιεῖν. Quod non de re civili verius est, quam de iis, quæ ad mentem et philosophiam referuntur disciplinæ. Quamvis enim antiquitatis cultores adeo fuerunt, ut αὐτόχθονας esse præ reliquis laudibus fere omnibus ponerent, at novissimam

quamque de omnibus rebus opinionem cupide expetabant; at perpetua illa percunctatio τί νέον cujus Demosthenem eos arguentem accepimus, usque ad id temporis manebat, quo S. Paulus nihil aliud curare Athenienses, nisi novas res audire ac referre, invenit. Cui novitatis amori conjuncta fuit impigra in omni re industria; qua quisque impedire id semper existimavit, cui ipse non interfuerit. Neque vero ἀπράγμονα aliquem laudis causa sed opprobrii, ut ἀχρεῖον, nominabant. Fuerunt præterea laudis imprimis cupidi, et patriæ jactatores, quam jure principem omnium ac pulcherrimam esse gloriabantur.

Qua in Atheniensium ingenii adumbratione si nimius cui videbor, at, quorum mentionem feci, nullum, ut mihi videtur, non magnopere cum artium studiis conjungitur. Nam pulchras et finitas et varias species concipiendi facultas effecit ut et varia sint et suam quæque naturam eamque pulcherrimam habeant eorum opera; quæ quidem præcipuæ sunt Græcorum signorum charites: sic ut Jovem, Apollinem, Venerem, cæterorum singulum quemque ipsa specie, nullis symbolis veterum ritu adhibitis, noscitemus, et majestatem cuique additam vereamur: mores autem ad artium studia impellebant. Propter religionem enim, ut supra dictum, signa, hymni, ludi, templa instituebantur; unde maxima et elatissima artium materies: quam adjuvit etiam ille urbis amor; urbem enim ut peregrinis nobiliorem magisque verendam proponeret, Propylæa illa et reliqua ædificia Pericles struenda curavit, tanta multitudine ut Thucydidi videretur, εἰ ἐρημωθείη ἡ πόλις, λειφθείη δὲ τὰ ἱερά καὶ τῆς κατασκευῆς τὰ ἐδάφη, διπλασίαν

ἂν τὴν δύναμιν εἰκάζεσθαι ἀπὸ τῆς ὄψεως ἡ ἔστιν. Clementia vero et mansuetudo ita ad artem pertinent, quod ars animi quasi imago est, nec cruentum aut barbarum animum cum artium studiis consentire credendum. Hilaritas vero et lepor effecerunt ut oblectamenta et ea venusta cuperent: quæ unde nisi ex artibus et literis sunt quærenda? Denique velox illa in omnibus industria et novitatis amor pandebat ingenium nec torpere patiebatur, sed inventionem semper acuebat: in arte autem, ut ait Thucydides, τὰ ἐπιγιγνόμενα ἀεὶ κρατεῖ.

Ad Romam vertamur. Nihil ibi mollis, nihil hilaris, nihil poetici: dura omnia et ad usum accommodata. Quamdiu enim libertate civitas adolescebat, Romanus fuit, si liceat Horatii versibus uti,

> "Rusticorum mascula militum
> Proles, Sabellis docta ligonibus
> Versare glebas et severæ
> Matris ad arbitrium recisos
> Portare fustes:"—

fuit, qui "angustam amice pauperiem pati" condisceret; qui propositi tenax semper maneret. Nec exempla illis tum Pericles aut Themistocles propositi, sed Cincinnati ab agris in consulatum arcessiti, et Fabricii nec auro venales nec elephantis territi. Neque enim, ut ait Livius, in ulla civitate tantus et tamdiu paupertati ac parsimoniæ honos fuit. His artibus potuit non Italiam solam sed orbem terrarum sibi subdere. Strenuus, parvo contentus, laboris patiens, in proposito, ceu Capitolium, immobilis perseverans, luxus et otii contemptor, "contemptæ dominus splen-

didior rei," Romanus artes, civitatis perniciem, sprevit. Quo autem animo Roma orbi imperaret, docet senatus gratias Terentio post pugnam Cannensem agens, quod de republica non desperasset. Egregie sane Horatius Hannibalem de victa gente ita loquentem fecit,

> "Duris ut ilex tonsa bipennibus
> Nigræ feraci frondis in Algido,
> Per damna, per cædes, ab ipso
> Ducit opes animumque ferro—
> Merses profundo, pulchrior evenit;
> Luctere, multa proruet integrum
> Cum laude victorem; geretque
> Prœlia conjugibus loquenda."

In bello enim, dum respublica fuit, Romanus totus fuit; aut si inter bellandum oblectamenta petebat, non ad innocentes scenæ venustates, nec literarum aut philosophiæ otia se recepit, sed belli simulacra, cædes et cruentas ferarum et hominum pugnas parabat: ingenium sane arti minime consentaneum. Cum autem, re in unius arbitrium concessa, postquam Græcia capta victorem ceperat, Augustus artium liberalium studia fovere cœpit, luxu jam et obsequio debilitati animi nobile quicquam concipere nequibant. Strenui enim sub principibus, sed in vitiis, Romani erant: ut nulla Græcorum ætas ad Romanorum vitiorum fœditatem ullo modo accederet; id quod satis constabit, si quis Aristophanis cum Juvenalis objurgationibus conferre velit. Degenerati autem mores nusquam eadem civitatis ætate, qua ars floruit, extiterunt. Accessit etiam imperitiæ superbia, qua artes, ut externas, Romanus despexit: unde, si poesim omit-

tamus, quicquid artis Romæ fuerit, Græcis permissum est. Neque enim unquam, si ita dicam, civitate donabantur artes; sed pauci quidam eruditiores Græcis literis et disciplinis se dabant, populus peregrinos istos mores spernebat; nec, credo, non omnis fere Romanus "Græcam urbem" odit. Atqui, id quod supra animadvertimus, paucorum favore translatæ nunquam quemadmodum indigenæ florent artes; ad absurda enim et solœcismos patronorum arbitrio se vertunt; tum pure ad naturam effinguntur, cum communis populi sensus judicare eas potest. Quod quidem ingenii est. Idem enim venustatis sensus et artificis animo pulchras species proponit, et vulgus artificis opus æstimare docet.

Ad ingenium igitur referri debent diversi artium eventus; hinc poesis, hinc religio pendet, hinc mores, hinc aliqua ex parte ipsa instituta: quæ quidem adjuvare ingenium aut impedire aliquantum valent, quæ tamen, si ingenium absit, creare artem non possunt, nec, si adsit, penitus exstinguere. Ingenium autem Græcorum quale fuerit, jam supra adumbrare conati sumus. Quod quantum artium amorem honoremque pareret, liceat breviter exemplis docere. Cum rejectam a Cois Praxitelis Venerem[r] Cnidii emissent, voluit eam postea ab iis mercari rex Nicomedes, totum æs civitatis alienum, quod erat ingens, dissoluturum se promittens; omnia perpeti maluere, nec immerito; illo enim signo Praxiteles Cnidum nobilitavit. Demetrius rex, cum Rhodum[s] obsideret, propter Protogenis Ialysum, ne cremaret tabulas, cum ab ea parte sola

[r] Plin. Nat. H. xxxvi. 5. [s] Ib. xxxv. 10.

posset urbem capere, non incendit; parcentemque picturæ fugit occasio victoriæ. Quo in loco subit comparationem quandam a nescio quo initam memorare, qui, cum Rhodii signa Demetrii dejicere nollent, Romani autem, quæ in Ægypto erant, Antonii et Cleopatræ signa omnia dejicerent, atqui, aiebat, Græci artem magis quam Romani ultionem diligunt. Gravissimum autem testimonium habemus Ciceronis, qui in Verrem agens de Græcorum in artes studio ita peroravit[t]: "Mirandum in modum Græci rebus istis, quas contemnimus, delectantur. Quid arbitramini Rheginos, qui jam cives Romani sunt, merere velle ut ab iis marmorea Venus illa auferatur? quid Tarentinos, ut Europam in tauro amittant, ut Satyrum, qui apud illos in æde Vestæ est, ut cætera? quid Thespienses, ut Cupidinis signum, propter quod solum visuntur Thespiæ? quid Cnidios, ut Venerem marmoream? quid Coos, ut pictam? quid Epheseos, ut Alexandrum? quid Cyzicenos, ut Ajacem aut Medeam? quid Rhodios, ut Ialysum? quid Athenienses, ut ex marmore Iacchum, aut Paralum pictum, aut ex ære Myronis buculam? Longum est et non necessarium commemorare quæ apud quosque sunt visenda tota Asia et Græcia; verum illud est quamobrem hæc commemorem, quod existimare vos hoc volo, mirum quendam dolorem accipere eos ex quorum urbibus hæc auferantur." Haud injuria igitur ii artes perfectas absolverunt, qui tanto honore ac studio eas prosequebantur. Romæ contra, quanquam pauci aliqui ibi fuerunt artis amatores, quanta earum negligentia

[t] Cic. in Verrem, Art. 2. iv. 70.

populus fuit Ciceronem, Horatium, Plinium sæpissime querentes legimus: quam autem alienum ab arte eorum ingenium fuerit, gravissimum auctorem Virgilium habemus, qui a laude in excusationem Romani nominis versus, pulcherrime ita hortatur;

> "Excudent alii spirantia mollius æra,
> Credo equidem, et ducent vivos de marmore vultus;
> Orabunt causas melius, cœlique meatus
> Describent radio, et surgentia sidera dicent:
> Tu regere imperio populos, Romane, memento;
> Hæ tibi erunt artes; pacisque imponere morem,
> Parcere subjectis, et debellare superbos."

Quodsi quis parum jam quæstioni satisfactum esse arguat, propterea quod ipsius ingenii, cur tale fuerit, causæ quæri debent; quasi rebus externis formari id necesse sit: infitias quam maxime eo. Sicut enim singulorum hominum, etiam eorum, qui isdem disciplinis, isdem fortunis, isdem locis usi sunt, ingenia tamen et facultates penitus diversa sæpissime evadunt; quas igitur diversitates natura evenire non possumus ambigere: cum gentibus quoque idem obtinet. Vel cæteras, quæ possunt esse, causas expendamus: num ad regionem verteris? at de illa, quod ad finitam artium quæstionem, jam diximus; pauca de universo genere animadvertamus. Eadem fere solis propinquitate jacent Iberia, Italia, Græcia, Persia, India, Serica: at nemo idem harum ingenium esse existimat. Singulas regiones intueamur: intra parvos Græciæ fines quam diversa Dorum et Ionum ingenia! quæ diversitas etiam colonias eorum, quam longinque cunque a patria remotas, quantumcunque inter se vicinitate

adjunctas, semper segregavit. Contra Sericæ tanta est longitudo, ut minime eodem æthere uterque terminus utatur: universæ tamen gentis unum idemque ingenium. Quinetiam non sensim, ut ætheris, sic ingenii variationes fiunt: sed ad certos, quicunque sint, sive montium juga, sive flumina, sive arbitrio nec natura fixi, regionum fines continuata indoles, tramissis finibus, repente alia fit. Verisimilius igitur ii, qui ad instituta confugiunt: sed ipsa tamen instituta unde sunt orta? Difficillimum sane est prima gentium initia repetere: credendum autem, ubique feros homines, cum primum se in societates congregarent, uni alicui, qui ingenio aut divitiis præstaret, auctoritatem permisisse: hinc in singulis societatibus primos duces pro ingeniis suis mores comitum instituisse; deinde, ut filius parentem refert, novissimam quamque ætatem in præcedentis mores successisse. Quod si ingeniorum diversorum fundamentum erat, usu venit, ut, quæ annorum lapsu mutanda essent, pro ingeniis ac moribus aliter ab alia societate mutarentur. Unde civitatum diversitas. Quam auxit etiam infinite diversæ rerum gestarum et casuum series, qui vicini cuique fuerint, quæ bella gerenda, et his similia. Quæ nec ad certa genera possunt referri, et plurimum ad singulas leges determinandas valent. Quæ ita sensim ipsum ingenium populi mutant et fingunt, ut semper tamen juvenilis animi nonnulla vestigia usque ad senectutem permaneant. Primæ igitur populorum proprietates in genere, non in regione aut institutis continentur. Quas altius velle investigare, nec pietatis nec sapientiæ esset. Remi-

nisci enim oportet, in omni re eas tantum causas quæri debere, quas rei, de qua quæritur, natura excipiat.

B. 1. Quoniam vero principio universam hanc causarum investigationem in duas partes segregavimus, alteram earum, quæ in populorum diversitatibus, alteram earum, quæ in ipsa arte contineantur; de priore illa populari, quantum habemus, jam protulimus, et ingenio eam conclusimus: ad alteram hanc igitur nunc progrediamur, quæ in arte et exercendæ ejus ratione ponitur. Quæ ipsa etiam in complura capita discedit, finis, ætatis, rationis, rerum, hominum: quæ singula quam brevissime tractabimus. Finem Græci sibi proponebant pulchritudinem, Romani imitationem. Quod per se quidem haud scio an non satis causæ fuisset, cur illi superiores evaserint. Imitationis enim est fere nunquam perfectam et accuratam ejus, quod imitetur, effigiem exprimere: ut, quæ de rerum externarum exemplis effingat, ipsis exemplis deteriora effingat. Summæ autem artis est superare naturam. Quod propterea fieri potest, quod cujusque rerum generis in animis nostris speciem quandam perfectiorem habemus, quam cui par exemplum in mundo unquam vidimus. Utrum natura eæ nobis insitæ sint; id quod Plato ille voluit, et ἰδέας omnium fecit, quarum propter divinæ naturæ participationem ejus in animo latentium memoriam excitare rerum externarum aspectum existimavit; an judicio et electione ex iis, quæ in quoque genere præstantissima oculus viderit, confletur et colligatur. Unde enim fiant, nihil interest; esse hujusmodi species constat. Ad quas intuentem oportet, si

quis excellentis quid conficere velit, manum dirigere. Hac arte se signis suis divinam, quæ in illis fuit, majestatem addidisse Phidias docet, cum interroganti nescio cui, de quo exemplo Jovem illum Olympiacum mutuatus esset, responderet, de Homeri versibus. Intelligendum enim Homeri versibus elatum fuisse illius animum et eo excitum ut sublimem illam summæ majestatis speciem conciperet. Quod idem de reliquis, qui post erant, credendum; qui ad Homerum et cæteros poetas, unde vitam ac proprietatem operibus inspirarent, se contulisse memoria traduntur. Quod si imitandis rebus nonnulli operam dabant, ut Zeuxis uvas, Parrhasius linteum nullo veri discrimine pinxisse feruntur, at non hi effecerunt ut superstes vivat Græca ars, sed Phidiæ opera, sed Parthenon et his similia. Quin idem Zeuxis, cum Junonis effigiem Agrigenti picturus esset, quinque pulcherrimas ex Agrigentinis delegit virgines, quarum pulcherrimas cujusque partes in unam ex omni parte perfectam speciem conjungeret. Quam pulchritudinis conformandæ rationem cum illa Phidiæ Raphaelus ille ita confert: "Ut unam perfecte pulchram formam possim pingere, permultas pulchras formas videre necesse est[u]: a quo cum pulchrarum infrequentia prohibet, speciem quandam pulchritudinis, quæ mihi ostenditur, sequor." Et simili modo, cum Archangelum Michaelem pingere vellet, Guidonem illum scribentem accepimus, sibi mentis acie visam pulchritudinis speciem humana augustiorem, quam ut exprimat, se nisurum. Quod idem quoque omnes fecerunt, qui Christi aut Christi matris effigies

[u] Winckelmann's Greek Art.

pinxerunt: quum, non animadverso, quales reapse formæ fuerint, modo summæ pietatis et pulchritudinis species exprimere conabantur. Nec quicquam egregii simplex imitatio unquam effecit. Quamobrem non injuria Romani Græcis impares evaserunt. Romæ enim indigenæ artes nullæ exortæ sunt, sed postquam victa Græcia direptisque oppidis immensam signorum, vasorum, aliorumque operum prædam consules et consulares exercitus reportaverant, rerum novitate attoniti artifices ad imitandum extemplo ferebantur. Aliena autem imitando spirantia signa, aut vivos vultus ducere nemo potest. Unde factum ut ipsæ victoriæ Romanorum artibus officerent. Cum enim ex tanta inopia in tantam copiam repente nulla institutione succederent, aliena admirari, desperare de suis natura cœperunt. Artis autem est tarde crescere: nec quia tam diu Romæ aberant, nisi aliæ præterea causæ idem docebant, nunquam ibi orturas fuisse artes idcirco credendum fuisset. Octingentos fere annos ante Phidiam rudis illa Dædali ars Græciam occupavit: quingentis post renatam artem lumen et umbras pictura distinguere inventum[x]. Finium igitur dissimilitudo plurimum ad id, quod quærimus, valet. Accedit etiam, quod Græci in Deorum cultum, aut patriæ decus et gloriam, "præter laudem nullius avari" opera ipsius artis amore elaborabant: Romani propter mercedem, ut privatorum hominum aulas ornarent. Cui motuum diversitati natura artes respondebant.

2. Ætate autem adolescentes jam Athenæ, Roma non ante senectutem se ad artes conferebat. Civitatis

[x] Fuseli's Lectures on Painting—Chiaroscuro.

enim, sicut hominis, vita in tres potissimum partes dividitur. Quarum prima rudis est et puerilis. Quæ quasi juventus Græciæ in Persicum bellum desiit: unde, sicut ex ἐφηβείας singuli cives, firmatis corporis animique viribus in virilem ætatem successit. Romæ minus certis annis inclusa pueritia de iis temporibus est prædicanda, in quibus una e multis paribus inter se gentibus, Tuscis, Sabinis, Æquis, Volscis, pro vita non imperio urbs certabat; cui successit virilis ætas, qua ineunte, Italiæ, matura, orbis terrarum domina respublica, desinente, corruens nimis extento corpore et laborum fessa unius hominis tutelam libens sibi imposuit: inde luxu et impotentia senescebat. Athenarum matura ætas a Mēdo ad Macedonem durabat; postea libertate exstincta urbs senectute languescebat. Proprium vero ingenium quisque virili ætate prodit: id quod Roma in bello et legibus, Athenæ cum armis terra marique bene gestis arte ac literis fecerunt. Unde usu venit, ut optimis harum operibus insit eximia quædam vita et virium effigies, nec nimis laboriosæ formæ languor: cum vetustissima puerilis ætatis opera simplici austeritate rigent, novissima senescentis molliore elegantia majestatem mutaverunt. Roma, provecta ætate, novitate potius capta quam amore incensa ad artes serior accessit, quam ut vividi quicquam aut animosi posset efficere. Neque vero credendum est iis, qui pacata tempora artibus necessaria esse profitentur. Pax enim luxum desidiam et vitia solet parere: quæ arti inimicissima sunt. Neque reliquis torpentibus, artes expergisci volunt. Itaque, si florentissimas artium ætates animadvertamus, Athenis sub

Pericle, Florentiæ sub Laurentio, Romæ sub Leone Decimo; nec solas iis temporibus artes floruisse videbimus, sed illustrium in omni genere hominum segetes, ut nunquam alias, fuisse: nec desidia jacuisse populi animum, sed Athenis tum fiducia, quæ propter victos Persas et stabilitum imperium fuit, summe ardebat, nec frequentes iræ mox in bellum Peloponnesiacum exarsuræ desidiam permittebant: dum, Laurentio Florentiam regente, totam Europam fidei emendandæ initia, et America nuper inventa arrectam tenebant. Roma vero sub principibus cum pace luxum Orientalium et desidiam irrepentes sensit, quibus virtus et ingenium mox cedebant.

3. Ratio vero Romanis, ut supra dixi, nulla alia fuit, quam Græcorum operum imitatio: Athenienses, cum ad species animo conceptas manum dirigere auderent, multa eruditione, multis scientiis freti, illas adumbrare conabantur. Quod vim vel maximam habuit. Quoniam enim signa, quorum maximus est locus, ad veram corporum similitudinem absolvi debent, multum ad id prodest et mathematicorum, quæ proportionem partium et mensuram, et anatomiæ, quæ veram humani corporis naturam doceat, scientia. Quoniam autem vivi vultus esse et spirare signa debent, vultus vero hominum ad animi affectus semper mutantur, viventium aspectum imitari solus poterit is qui affectuum et morum scientia satis imbutus sit. De quibus minime opus est ut referam, quantopere et rerum naturæ et morum philosophiæ Græci studuerint: constat eodem tempore liberalium artium ac philosophiæ studia primo orta esse; et illa ipsa geometriæ et anatomiæ scientia jam tum

Athenas a Pythagora et Hippocrate advecta erat. Liceat tantum, quo in regulis artem contineri a Græcis intellectum monstremus, Doryphorum illum Polycleti proferre, quem cum ille scientia ad justam partium proportionem ac naturam elaborasset, canona ii, qui post erant, appellabant. Exemplum vero est, quantopere reliquæ disciplinæ arti prosint, Ægyptus, quæ[r] cum pauca quædam geometriæ elementa percepisset, morum philosophiam penitus nesciret, rudia hominum simulacra recta proportione nulla vita effecit. Nec indignum animadversu est, quod eodem tempore Florentiæ[s] renata est pictura, ac apud Laurentium instaurata fuit divina illa Platonis philosophia. Quam diversa autem Romæ fuerit scientiarum æstimatio, exemplum habemus id quod de Archimede Syracusano T. ille Livius scriptum tradidit[a]: "Archimedes erat, unicus spectator cœli siderumque; mirabilior tamen inventor ac machinator bellicorum tormentorum operumque." Quæ Plutarchus omnino in contrarium refert in vita Marcelli: docet enim in puris, quas vocant, geometriæ disciplinis totum Archimedem fuisse; ad machinas et opera nonnisi cogente Hierone invitum se vertisse: parum enim decorum artis suæ dignitati rebatur, eam ad corporeas res vertere.

4. Res vero sibi arte effingendas Græci proponebant Deos et heroas: Romani principes, senatores, privatos homines. Cum enim hi in titulis et imaginibus magnopere stuperent, eo artem vertebant; ut forum, triviæ, domi simulacris hominum conferta essent. Athenis

[r] Muller's Ancient Art. [s] Life of Lorenzo de Medici.
[a] Liv. xxxiv. 24.

diu nulla hominis effigies fuit; victoribus Olympiacis primis hominum permissus est iste honos, ut prope divinus. Deorum autem simulacra non ut effigies ab iis, aut templorum ornamenta, sed ut ipsa numina colebantur. Quod natura fecit, ut mentis aciem omni modo exercerent artifices, si forte divina pulchritudinis species ostendere se iis vellet, et manum dirigere. Qua quidem arte Phidias ipsi religioni majestatem addidisse habebatur; nec minor in Veneris simulacris Praxiteles. Quæ autem ars primo Dis reservata est, postea degenerare sensim et ad humiliora descendere videmus, heroas, Faunos, homines, eorumque tantam multitudinem, ut propter minima beneficia, ut minimus omnium, signi honos decerneretur. Cum rebus vero ipsam artem degenerare videmus. Adeo verum illud Virgilianum,

—— "Omnia fatis
In pejus ruere, et retro sublapsa referri."

5. Restat denique, ut, qui fuerint, qui in utraque civitate se artium liberalium studiis darent, referamus. Romæ id, quod de pictura Plinius tradidit, de universo genere obtinet: in honestis manibus nunquam eæ spectatæ fuerunt. Ars autem vates sibi diligit nonnisi ingenuos et bene eruditos; quæ una certe causa est, cur hodierno tempore nostrates parum excellentes in artibus evadant. Romæ autem honestissimus quisque ad eloquentiam se et forum aut ad arma semper conferebat. Athenis, cum servitiis vetitæ et civitate donatæ artes essent, quicunque vel mediocriter eruditus et institutus haberi vellet, artes solebat si non penitus do-

ceri, at gustare singulas, si ita dicam, et delibare. Ut in Themistocle, cum ad mensam nescio cui eum ut caneret roganti se posse negabat, illiberalius id videretur. Liceat quoque Platonis exemplo uti, qui, quanquam in artes imitatrices graviter invectus, ipse tamen artium studiosissimus traditur. Quod non propterea solum profuit, quod quo ipse genere et ingenio præstantiores sint eo elatiora artifices sunt concepturi, verum id ipsum judices habere nobiles et bene institutos, qui iidem et periti artis et diligentes sint, permultum valet. Quoniam enim placere artifex plerumque vult, magni interest, quibus placendum sit.

Quæ quum ita sint, causas ejus de quo nunc quæritur, non optimas credo, haud scio an veras, quas tamen habeo, jam in medium protuli. Quas, quæcunque sint, liceat brevi ecensere. Universam causarum quæstionem in duas partes divisimus, quarum una in gentium diversitatibus, altera in ipsa arte continetur. Gentium autem diversitates quinque fecimus, regionem, religionem, instituta, mores, ingenium. Regionis Græcæ æthera convenisse arti diximus, quia hilaritati aptus fuit; sed causam ejus, de quo quærimus, esse negavimus, quia nec Romanis æther incommodus fuit, nec artes ætheri semper respondere exemplis docuimus: situm Græcis quam Romanis meliorem fuisse ostendimus, cum propter mercaturæ opportunitatem, tum etiam quia in tot civitates divisa Græcia æmulationem peperit, quæ in uno Romano imperio esse non potuit. Religionem vero diximus Græcam propter numerum Deorum et naturas arti convenisse; quæ et ex poetarum fabulis pulcherrima orta est, et in templis, hymnis, ludis, si-

mulacris nulla artium non usa est. Romanam, quæ eruenta et atrox fuit, nec poesi ulla formata, nec vera fide credita, minus aptam arti fuisse diximus: sed nec religionem nec poesin ultimas ejus, de quo quærimus, causas fuisse, sed ad ingenium ambas referendas esse confirmavimus. Instituta autem, cum tam diversa in Græcia essent, in quibus tamen omnibus ars floreret, artis causam fuisse negavimus; concesso tamen illam Atheniensium ὑπὸ τοῦ πρώτου ἀνδρὸς δημοκρατίαν ex omnibus rerum publicarum formis aptissimam arti videri: sed Romæ vero et libertatem primum fuisse et postea principatum, quas duas omnium civitatum arti maxime idoneas esse plerique volunt, vidimus: instituta igitur per se causas ejus, de quo quærimus, non posuimus; quæ etiam ad ingenium revocavimus. Mores, qui Athenis otium et voluptatem, Romæ laborem et parsimoniam docebant; et oblectamenta illis theatrum et fabulas, his circum et cædes proponebant; et Atheniensium pubem ad literas et elegantiam, Romanorum ad arma et leges instituebant; multo magis Athenis quam Romæ arti favisse ostendimus: sed et hos quoque magna ex parte ad ingenium referendos. Ingenium igitur imprimis causam fuisse diximus, cur Græcis Romani in artium liberalium studiis impares evaserint: quia illis primo sensus venustatis fuit subtilissimus, deinde certa ac finita concipiendi facultas, tertio ad varias res agendas facilis agilitas: quibuscum conjuncta erant morum pietas, clementia, hilaritas, εὐτραπελία, novarum rerum amor et inventio, laudis cupido, impigra in omnibus industria. Romano autem nihil mollis, nihil poetici fuit; durus hic et

strenuus miles, parvo contentus, laboris patiens, utilium rerum optimus inventor, sed cujus artes erant bellum et imperium. Ad ingenium igitur priorem illam causarum partem rettulimus; ingenium vero non ex rebus externis totum pendere, sed magna ex parte natura innasci; nec tam religione, poesi, institutis, moribus formari, quam ipsum ista formare exposuimus. Secundam denique causarum partem, quæ in ipsa arte continentur, in quinque capita divisimus, finem, ætatem, rationem, res, homines. Finem autem Athenienses diximus sibi pulchritudinem proposuisse, Romanos imitationem: unde illi superare naturam, hi ne æquare quidem poterant. Ætate Athenienses virili vel matura civitatis et inter belli ardorem, Romanos non ante senectutem et in pacis desidia ad artes se recepisse: unde illis vigor et vita, his nimis laboriosus languor accidit. Rationem Atheniensium fuisse, species animo concipere, has deinde secundum reliquas scientias formis induere; Romanorum nullam aliam fuisse misi Græca imitari: unde illis proprietas, vis, veritas; his inanis quædam signorum similitudo. Res Athenienses imprimis sibi proposuisse Deos et heroas; unde ad perfectæ pulchritudinis species concipiendas vertebantur: Romanos in hominibus præcipue laborasse. Artifices denique Athenis omnes, qui eruditiores essent, fuisse; unde et artifices scientes et judicum numerus orti sunt: Romæ in honestis manibus artes nunquam spectatas esse docuimus.

Quæ quidem causæ, ut mihi videtur, prohibent quominus quis admiretur, si in artium liberalium studiis Athenæ Romam superaverunt. Quod si quis utriusque

gentis in humani generis historia locum repetere velit, animadvertatque Græciæ, inter Europæ atque Asiæ confinia jacenti, munus traditum fuisse, ut Europæ jam in imperium successuræ informatrix esset, et humanitate eam emolliret: Romano in media Europa posito datum fuisse, ut universæ Europæ eandem humanitatem communicaret et veritati vias per omnem ejus longitudinem patefaceret: non poterit is quin divinam illam prudentiam admiretur, quæ Græciam artibus et sermone instruxit, quales etiam nunc imperio uno omnium animos detineant, Romam nullas alias artes docuit, quam bellum et imperium.

GEORGIUS RIDDING,
Coll. Exon. Soc.

velit.
Asiæ
opæ
ma-
sito
ita-
on-
um
et
a-
-